



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCLI. ad annum CCCCLXXV.

Parisiis, 1644

Epistola VI. Simplicii papæ ad eumdem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14887

paganda posteritas, sic in successore reperitur, quod a prædecessore descendit.

Oecumenica
Conclia
qua occa-
sionetogen-
da.

Hortor ergo, frater carissime, vt modis omnibus facienda Synodi peruersorum conatibus resistatur; quæ non alias semper indieta est, nisi cum aliquid in prauis sensibus nouum, aut in assertione dogmatum emersit ambiguum: vt in commune tractantibus, si quæ esset obscuritas, sacerdotalis deliberationis illuminaret auctoritas; sicut primum Arii, ac deinde Nestorii, postremum Diocisci atque Eutychetis fieri coegit impietas. Et (quod misericordia Christi Dei nostri saluatoris auertat) intimandum est, abominabile esse, contra sententias totius orbis Domini sacerdotum & principum vtriusque rectorum, damnatos reos restituere, reduci exiles, relegatos in causa nefariae coniurationis absolui. Itaque (quod sæpe repetendum est) hæc omnia clementissimis auribus suppliciter intimato. Veniet procul dubio Deus in adiutorium vestrum, in cuius manu cor regis esse retinens constitutum potestatis suæ * nesciat aliunde principium. Data ^{*al. de-} _{scit} quinto Idus Ianuarii.

NOTA.

* Epistola.] Hæc est illa epistola ad Acacium scripta, quam pontifex patentem & nondum obsignatam cum præcedente epistola misit ad imperatorem illo fine & argumento, quo supra dixi.

• EPISTOLA VI.

SIMPLICII PAPÆ

AD ACACIVM.

Commendat Acacium, quod Timotheo Æluro nulla ecclesia Constantinopoli patuerit, hortaturque eumdem ut imperatorem moneat, ne Calchedonensis Concilii statuta violari permittrat.

Simplicius episcopus, Acacio episcopo Constantinopolitano.

CVM filii nostri illustris vir Latinus patricius, & spectabilis Madusius pro legatione publica mitterentur, negligere non potuimus, quod omni intentione curramus. Proxime namque cum presbyterorum & monacho-

nachorum de Timotheo olim ab vniuersali ecclesia separato querela venisset , tam Christianissimo principi , quam dilectioni tuæ scripsimus , vt modis omnibus resistatur, ne quid hæreticorum contra Calchedonense Concilium moliatur audacia , frater carissime : & dilectionis tuæ laudando constantiam , multum nobis , imo ipsi Domino placere memorauimus , quod damnatum hominem non solum fidei , sed etiam parricidii causa , nullam Constantinopoli ecclesiam introire permiseris. Quod nunc iterum commonemus , vt cum ad dilectionem tuam eadem scripta peruerterint , imo etiam donec veniant , apud Christianissimum principem etiam nostro nomine agere suppliciter atque insinuare non desinas , vt quæ totiens & bene statuta sunt , nulla obreptione violentur : quia regni eius certum & singulare est firmamentum , vero atque æterno regi congregatorum in causa fidei diuino spiritu sacerdotum illæsum conseruare Concilium.

N O T A.

* *Epistola.*] Hanc epistolam , aliasque nonnullas eiusdem argu- Qua occa-
fione fer-
mata.
menti , occasione publicæ legationis , quam misit Odoacer ad Zeno-
nem , Acacio scripsit . Ex Vaticano codice acceptam , primumque
tomo i. epistolarum Romanorum pontificum excusam , huc transtu-
limus cum sequentibus .

E P I S T O L A VII.

S I M P L I C I I P A P Æ
A D P R E S B Y T E R O S E T A R C H I M A N D R I T A S
C O N S T A N T I N O P O L I T A N O S .

Clericorum ac monachorum Constantinoli degentium fidei constantiam commendat , cum Timotheum ad communionem non admiserint : illumque , vt sæpe damnatum , ostendit non audiendum .

*Simplicius episcopus , presbyteris & archimandritis
apud Constantinopolim constitutis .*

P ER filium nostrum laudabilem virum Epiphanium literis vestræ dilectionis serius quam voluistis acceptis , magno sumus dolore permoti , quod illic intra Vuu
Concil. Tom. 9.